

Bibliothèque numérique

medic@

Falconet, Camille - candidat /
Fourneau, Jacques - président. - An
totum Generationis opus solis
Mechanices legibus absolvatur ?

1709.

*Paris : Typis viduae Francisci
Muguet, Regis & Facult.
Medicinae Typographi
Cote : ms 2325 n°35*



QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis trigesimâ primâ Januarii 1709.

M. JACOBO FOURNEAU,
DOCTORE MEDICO,

P R A E S I D E .

An totum Generationis opus solis Mechanics legibus absolvatur?

I

GENERATIONE majus nullum habet Natura miraculum, majus autem? imò verò unum habet. Tota in Generatione, nihil aliud molitur; huc tota se refert: plenissima Animantium, generat ubique; perpetuò nova abeuntibus subrogat: non aliá ratione semper flôrens; semper eadem. Animantium innumeræ species: Plantæ non solum, sed etiam Metalla, Lapidès; quin Aqua forsitan & Terra, hoc nomine censendæ sunt. His omnibus vitalitatis character, fabrica propria, artificiosa organorum compositio; quâ diversâ diversæ species insigniuntur. Qui vivere enim inficiens, quibus tam admirabilis est partium structura: ea per totam speciem ulque sibi constat: ea siugulis, dum crescent, per totam statem inhæret: non meliori sane argumento ipsis Animantibus vita tribuitur. Conformari igitur & crescere sive nutriti proprium est Animantium: utriusque verò exordium videtur à Generatione. Nimicum omnia suis quoque ovis feminib[us]ve Animantia continentur, gignuntur, augescunt. Latent primum in feminib[us]: prodeunt deinde ubi nutriti incipiunt; (quod generari dicitur) & adulta vivunt sub Animantis aliqua specie: tandem exoleta fatiscunt, cadaverum nomine tunc nuncupanda: triplici adeo subeunda conditione: feminis, Animantis, & cadaveris. Ex semine fit Animans alimento accedente: ipsum autem alimentum ex cadavere. Sic fatali quadam

serie omnia nutriuntur vicissimque nutriunt: & in eo est perennitas Naturæ; quæ perpetuā quādam ~~ārāxgūpsi~~ ipsa sele renovat. Tantæ autem vicissitudinis instrumentum, motus cujusdam Materiæ subtilissimæ per omnia pervadentis: sive sit Sol; sive Solem ipsa cum reliquo vortice rapiat. Ab eâ excitantur è semine Animantia & crescent; ab cā intereunt. Ut duæ sint omnino Naturæ partes; altera quæ efficiat, id est moveat, Materia illa mobilissima; altera quæ efficienti se præbeat, Animantium omne genus; tertium nihil supersit.

II.

NA T U R A M lustranti quæ non occurrit corporum varietas? quæ in tanta varietate constantia? Varietatem calus aliquo jure sibi vindicare possit: at constantiam certæ causæ atque constanti nunquam eripiet. Eam causam in semine Physicus investigaverit, nusquam alibi inventurus. Unius seminis vis ea est, ut si inciderit in naturam concipientem; naçtumque sit materiam, quâ ali augerique possit; ex eo prodeat consentanea suo quidque generi conformatio[n]e. Ab his incunabulis exsurgit quicquid conformatur atque nutritur. Quis porrò in Fossilibus utrumque non cogatur, ut in cæteris Animantibus agnoscerे? omnia percurre immensum: Sint instar omnium Lrides: Crystallo hexahedrica est figura; dodecahedrica Smaragdo; Adamanti octahedrica; Islandicæ cuidam crystallo prismatica, quæ vix definiri queat &c. Sabulo etiam calculorum non deest propria species, rhomboidalis novo recentiorum conspicillo deprehensa: unde sit justa suspicio ut semine Vermes, ita fabulum oriri in Animalium corporibus. Jam interiora Lapidum rimanti occurrent in quibusvis ductus venarum instar: his stipatis constant lamellæ sibi invicem superstrata; quibus totum coaguntur lapideum corpus: norunt id apprimè Lapicidæ atque Structores: sed paucis notum Adamantii sic etiam esse; ut quam in partem hi ductus protendantur, eam versùs, fortiori ista dissiliat lapis, quâvis aliâ invictus. Quid plura addere opus est; habes in his ductibus veræ nutritionis organa; veræ, inquam, non ementitæ illius, quam finxit Schola, atque juxtapositionem vocavit. Hâc viâ verè vitali meant, digeruntur alibiles succi in totam lamellarum compagem; ac forsitan remeant: Naturæ enim solemnis in orbem redditus. Dubitas adhuc? inculpas novello lapidi notas observes; ut crescat lapis, crescent & notæ. Nescis cryptas intra gypsum incidas aliquo post tempore intumescere? quot & alia? quibus vincatur, quæ pro inanimis huc usque habita sunt nutritri haud alia ratione atque ipsa Animalia. Ad eandem planè legem omnia peraguntur in rerum Universitate: omnibus ingenitum est corporibus conformari: omnibus etiam consecutio[n]e quadam nutritri: hac duplii virtute constat uniuscujusque natura: nec cuiquam generati aliud est quâm conformatum, ut decet, in sua quidque specie incipere nutritri. Cui igitur & conformatio[n]is & nutricionis explorata sit origo, huic totius Generationis mysteria, aperiantur necesse est.

III.

DI V E R S I S Sexibus Animalia à se invicem aperte distinguntut; obscurius Plantæ; nullo forsitan Lrides cæteraque Animantia. Quibus diversi, in iis utrumque ad Generationem aliquid conferre notum est: non perindè notum quid alter conferat & alter. His placet semen à Maribus tantum fundi; nullum à Fœminis: illis à Fœminis quidem, sed infœcundum: plerisque & Maris & Fœminæ fœcundum esse. Verum in quo seminis vis illa fœcunda sit posita, altera est controversia multò gravior. A semine masculo ceu coagulo menstruum in Mulieribus sanguinem in se[re] conglomerari vult Aristoteles; indeque conformari. Meliori Veterum parti celebratur Vis Formatrix in semine hospitans, quæ sibi domum architectatur, idoneam materiam naçta: hanc satis dudum explosam in scenam nuper reduxit Philosopherus Anglus, rursus explodendam. Vi Plasticæ affines sunt seminales Ideæ, Typi, & aliae id genus voces, nihil sonantes. Pyrotechnicorum qui subtiliores haberi volunt, non fermentationi, sed acido cuidam seminali Generationem assignant: idonei parum quos hic sequamur autores; nam qui toti in destruendis igne corporibus, quâ generentur ratione sat gnoros vix credam. Quid juvat plures ejusmodi nœnias recensere: ad eos veniamus, qui cæteris altius sapere se putant. Hi Motum clamant omnium unicam in rerum Natuta causam. Mechanices est, inquiunt, non solum quod spiramus, quod vivimus; sed etiâ[em] quod generamur, quod in homines conformamur. Si eos audiamus; in Animali pubescente, magnitudinem suam ferè adepto, abundant alibiles succi: hi à singulis corporis partibus reflui, in loca certa sedunt; (Testes in Maribus, in Fœminis Ovaria) ibique semen & ova constituunt. Eo pacto in ovi ac seminis liquore, partes omnes Animalis temere quidem jacentes, continentur; quippe idonei partibus nutrientis succi, eodem loco quo partes ipsænt habendi. Accedente itaque

3

seminis masculi spiritu, excitae partes illæ ita disponuntur, ut quæ omnes Cerebro congeneres hinc, illinc omnes quæ Hepati, Magneticâ quâdam virtute sese mutuò apprehendant; siveque integrum Animal exturgat. Talia sunt ut optata magis quâm inventa videantur. Quid enim est quod nutrimentum volunt, partium quibus non adhæsit, vicem representare; annon illud est ad seminales Ideas revolvi, à quibus tantoper refugiant? Sed instant, singulis nutrimenti particulis nulla seorsum est conformatio; ex omnium coagmentatione ea tantum emergit: & hoc ipsum est, quod præcisè negaverim: omnes v. g. quæ Cerebro congeneres sunt partes, in Cerebrum coagentari posse: quis enim sanus non videat eas tantum Magneticâ illâ vi congerendas esse in acervum; Cerebri immane quantum dissimilem. Deinde quidni in unum quendam nervum, eumque magnum, nerveæ omnes particulae coeant? Sic venosæ & cæteræ quas vocant similares. Demum in hac sententia parum diversa Sexuum ratio perspicitur: in amborum alterutro quicquid ad Generationem opus est ferè reperitur: immo Generationi nocere videtur utriusque semenis mistura: si verò spiritum à masculo, materiali à feminino tantum suppeditari dicas; unde, quæso, mascula omnis proles originem dicit? Nec se viatos adhuc fatentur; ruentem causam exemplo luculento credunt se fulcire: afferrant Salium concretionem, in qua uniuersus Salis propria figura constanter usque retineri observatur: sed item liceat refolvunt: particulis enim falinis, an mero ex motu nativa sit conformatio? hoc ipsum controversum est. Obtrudunt tandem decantatum Chymicis illam è cineribus ardor; quibus id unum respondeam; tam putidis commentis fidem habere, citeturpius esse, quâm illud quod volunt, non posse defendere.

I V.

UTINAM tam facile esset vera invenire, quam falsa convincere: sed omnibus fere in rebus, maximè in Physicis, quid non sit citius quâm quid sit, dixerimus. Et Recentiorum & Veterum de Animantium conformatio re tulimus opiniones, plerasque rite potius quâm oratione ejiciendas: Mechanice ipsa, quæ nihil intentatum hodie relinquit, impares tanto operi suas vires experta est: qua potior superesse possit sententia? non videtur. Nodus hic Gordius est; secundus, non solvendus: frustra querelas causam, ubi querenda non est. Tam admirabilis compositio, quæ in Animantium generatione prodit, non quotidianum est opus Natura; non fit hodie; nec fieri erat; facta est à primo rerum initio; ut exordium vite, aut saltem quasi vite, omnibus Animantibus idem sit atque ipsius Mundi. Habet nimirum in suo sinu Natura rerum, quicquid futurum est, jam extessum ut futurum est; omnia suo quaque tempore in lucem promptura. Hæc vero quandiu tenebris premuntur, semina vocamus; (Embryones vel Germina rectius dixeris) in quibus Mundus alter continetur, semper succrescens prioris senescentis ætati. Illorum porro semen, quæ forsitan infinita esse oportet, quis videtur locus satis capax? vel minimus; si ad eorum exiguitatem, quæ pariter infinita est, attendas. Nam quod miraculo miraculu cumulat; semen semini inest; huic alterum; alteri novum, conformatum ut prius; & sic in immensum; ut ad id quod penitissimum est nunquam pervenias. Crassam rei adumbrationem habes in poculorum illa compositione in se invicem inclusorum, quam Synthesin olim vocabant. Progredi verò semper à minimis ad minora etiam minimis; nec consistere unquam posse in omnium minimo; intelligit super captum suum esse Mens humana, non supra Naturæ vires: quandoquidem videt demonstrationis fide, Materiam infinitè fecari posse ac dividi. Absit igitur ut credas semina cuiusque rei extra se invicem posita promiscue vagari incerta sede, quoad propriam fuerint nacta; quoquo modo, sive portu vel cibo, sive aspiratione æteris, singula suis Animantibus incident. Non distracta sunt ejusdem speciei semina; cum possint tam nullo Naturæ negotio, in angustissimum spatium cogi. Habuerunt primi Parentes à Protoplaste sibi ingentium, quicquid Hominum natum est; quicquid nascentur; si oportet etiam nasci ad infinitam annorum seriem. Sic & cætera omnia creavit simul summus rerum Conditor; ut Sacri Codices ipsi loquuntur.

V.

IN Animalium Masculorum semine novum conspicillum fluitantes Anguiculos retegit: Nihil proclivius quam in eju'modi animalculis spesi prolis omnem reponere: multa sunt tamen, quæ à sententia plerisque accepta me abducant. Primo quidem, Anguiculorum ilorum, qui vulgo Vermes, vegetum corpus ac valens, adulta perfectaque esse Animalia suadere videtur: porro nisi ita esset, cur imperfecta, quotidie non increcerent; patent viæ, quibus alimentum accedat; nutriendum corpus eò natum est, ut diducatur in molem nimio

quanto ampliorem ; nec alimenti ea est penuria , ut saltē aliqua magnitudine augeri nos debeant , cūm tamen eandem semper retinere conspiciantur. Deinde Seminis masculi nec vis nec natura memoratis Anguiculis contineri videtur : quid enim illis est cum Aura seminali ? particulā proprieā indolis , summē tenui mobilique s cuius afflato & pubescentis Maris & Fœminæ concipientis corpora adeo immutantur. Postremūn quā viā Anguiculos jam Uteri sinu receptrs , ad ovaria deduces & per Tubas & ab Utero in Mulieribus non stylo sunt perviae : Sanguinis circuitu & vix credendum , nec alicubi hærcere tot Mæandris circumductos ; nec salso liquore hædi , alio prorsus à feme. Sed Utero non egrediuntur , ut saniores credunt , ibique in ova hue delapsa se induit per foramen petioli , valvula munitum : huic siquidem valvula , aiunt , caudam obdit , ceu pessulum , Anguiculus ingressus ; ne quivis alius eōdem subeat : ingeniosum Commentum ! Fac tamen in ova , nescio quā ratione , irrepisse & supereft difficultas , iis qui perinde ac nos Mechanicen rejiciunt , inenodabilis ; quomodo funiculus umbilicalis , quem dicunt esse caudam Anguiculi , propagines suas in totam Placentam dispergat ? id est , quomodo Placenta ipsamet conformetur ? cūm tota umbilicalibus vasis contexta sit. Quid igitur , inquires , in omni omnium Animalium feme Anguiculi deprehendantur ? in promptu causa est ; Seminali in liquore vis est fœcunda , Alimentum dulce ; facilis ab utroque vita , quibusvis ovulis in seminalem laticem irrepentibus. Jam igitur Anguiculos illos adeò decantatos , quæ Animalia sunt verè perfecta , pro signo tantum fœcunditatis habeas non pro causa. Sed ubi tandem habitat Embryo ; Animalis compendium ? Auram seminalem sequere ; hac duce invenies. Ea per Uterum toti V. G. Mulieri inspirata , à Sanguine quem miris modis afficit , in Ovaria fervorem & tumultum infert : hinc maturioris ovi liquor rarefit ; sicque premis vasa quibus facci ad ovum appellunt ; sibique adeò commearum intercepit : unde fit , ut ovum calyculo , cui per simplicem vasorum osculationem adhæret , facie deripiatur : dum per angustissimum foramen extra Ovarium propellitur ; muscularium & Ovarii & calyculi fibrarum contractione : quem nixum adjuvant extrema Tuba lacerti , qui parturienti Ovario suppetias veluti latruri , sese surrigentes illud apprehendunt stringuntque : eo situ servato , ut Tuba meatus Ovarii foramini ad amissim lese opponat ; ovum Ovario ejectum excepturus , in Uterum hac viā advehendam. Sed quō me rerum traxit ordo & solis ovi penetralibus insidere mens erat ; Embryonem hīc tandem repertum contemplaturus. Ille deses , torpidus , totus in se confidens , jam jam adventante seminali aurā excitatur , erigitur. Funiculi siquidem umbilicalis non citius cæca relaxet spiramenta seminalis fervor , quam succi ejusdem operā tenuiores facti ad Embryonis corpusculum permanent ; quos si semel is corde conceperit jam vivus habendus est : coreulo enim micante incipit Circulatio novitii Sanguinis ; adeoque simul vita. Interim explicatur magis ac magis contractum corpus ; alibili lucco partibus hiantibus affatim suppetente : ut brevi sub aspectum veniat non amplius Embryo , sed Fœtus vocandus. In his omnibus quas partes agat Mechanice facile videoas : Mira fane quæ hīc præstat Motus , sed solus ? An præunte potius nativâ iplorum corporum conformatioe ? Ea est prorsus quam Motus rectricem moderatricemque merito appelles ; sine qua vagus ille , incertus atque adeò infecundus foret.

Non ergo totum generationis opus solis Mechanics legibus absolvitur.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes-Baptista Chmel , M. Philippus Caron.
Medicus Regis ordinarius.

M. Alexander Michael Denyan.

M. Andreas Cressé.

M. Abrahamus Theysrt.

M. Armandus Josephus Collot.

M. Claudio Burlet , Regis M. Bertinus Dieuxivoye , Anti-Hispaniarum Archistar. quior Schola Magister.

Proponebat Parisiis C A M I L L U S F A L C O N E T Lugdunæus ,
Baccalaureus Medicus. A.R.S.H. 1709.

Typis Viduæ Francisci Muguet , Regis & Facult. Medicinæ Typographi.